



**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

§. 1. Posse carnibus vesci de consilio utriusque Medici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

## CAPVT VI.

## Favor secundus Bullæ tempore interdicti.

Posse recipere Sacramenta.

1. Nota Primò, hunc favorem intelligi cum iisdem cautionibus quas diximus c. *præced.* n. 1. puta si non dederint causam interdicti, nec per ipsos sitet interdicti remotio; & privatim, &c.

2. Nota Secundò illud (& alia Sacramenta) quod esse magnum Privilegium rectè dicit Ludovicus à Cruce de Bull. d. 1. c. 3. d. 5. n. 1. qui cum addit, licere habenti Bullam recipere Eucharistiam, & alia Sacramenta, quando placuerit, & ubi placuerit, semper est intelligendus, dummodo id fiat ianuis clausis & privatim, si sit tempus interdicti, nempe, iuxta ac requirit interdicti tempus; neque enim Bulla, & Privilegia debent in aliis non expressis interdicti legibus officere.

3. Nota Tertiò illud (*Præterquam in die Paschatis*) solum enim per hæc verba prohibetur receptio EVCHARISTIÆ, quæ ex obligatione in propria Parochia præstari debet, imò, quia Bulla hanc solum obligationem communicandi in Parochia, ad satisfaciendum præcepto, excipit, colligunt Doctores, esse valde probabile, etiam ipso die Paschatis, hoc privilegio te uti posse, modo ante, vel postea Parochiæ satisfacias. In aliis ergo diebus poterit quis cum Bulla recipere EVCHARISTIAM à quocunque Sacerdote; ut tenet Valq. quem cum aliis sequitur Diana mox citandus, licet neget Suar, aliique apud eundem Dian. p. 1. r. 1. ref. 20.

## CLAUSULA VII.

Item conceditur mortuorum corpora (nisi forte vinculo excommunicationis immodatè decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri.

## CAPVT VII.

## Favor tertius Bullæ tempore interdicti.

Posse Ecclesiasticè sepeliri.

1. Nota, hoc privilegium dari omnibus, qui recipiunt Bullam, id enim clarè habet eius tenor, & quidem si non dederint causam interdicti, vel per ipsos non steterit, &c.

2. Nota Secundò, hoc privilegium esse magni faciendum; nam per iura antiqua solis Clericis conceditur, posse eos sepeliri in cimiterios & de iure noviore per c. *Alma Mater*, etiam in Ecclesia. At Laicis nullus quoad sepulturam, conceditur favor, nisi fortè in aliquibus festivis diebus Paschatis Resurrectionis, &c, vel pro non denunciatis nominatim, ut fuscè agitur in Tractatu de interdicto. His ergo Laicis, & pari modo omnibus Christi Fidelibus Bullam habentibus conceditur, ut possint in interdicto generali locali Ecclesiasticè, sed cum moderata pompa, sepeliri.

3. Si autem quæras, quænam sit hæc moderatio. Respondet esse illam, (ut habet Corduba apud Ludovicum à Cruce loc. cit. d. 7. num. 2. qua cum cantu, & tribus Campanarum clamoribus cadaver deferatur, & sepeliatur, apertis ianuis Ecclesiæ, sed sine Missa. Addit idem Author, in quodam Commentario Bullæ declarari per Pompan moderatam intelligi modicam pompæ, & solemnitatis, quæ alias fieret iuxta qualitatem defuncti. Verum Ludovicus à Cruce loc. cit. concedit, standum esse consuetudini Patriæ, vel dispensationi Ordinarij, vel si hoc desit, Parochi.

Monitio pro oratione fundenda in n. q. prædictorum favorum.

4. Quoties uteris Bullæ favore celebrandi in privato Oratorio, vel celebrandi ante horam. Quoties idem facis tempore interdicti: Quoties Missam celebras, vel celebrare facis ante, vel post horam debitam cum concessione dicta commissarij: Quoties divinis assistis eodem interdicti tempore, quoties aliquas præces Deo pro Unione Principum Christianorum contra infideles, eorumque contra eisdem infideles victoria porrigere teneris. Sufficere autem unum Pater, & Ave, & eius omissionem non esse nisi venialem dictum est, in *Opusculo Sacro*, Miss. l. 1. c. 4. §. 4. n. 41.

Idem dic, quoties Eucharistiam sumis, modo dicto superius, & quoties Ecclesiasticè aliquem ex vi Bullæ tempore interdicti sepelis, nam in Bulla originali, quam toties citavimus, quamque habes apud Ludovicum à Cruce initio suæ expositionis hæc monitio de oratione fundenda, ponitur immediatè post illos prædictos favores, unde pro omnibus requiri videtur.

## CLAUSULA VIII.

Item, ut durante dicto anno, intra ipsa Regis Hispaniæ Regna (intellige, ubi promulgatur Bulla) & non extra carnis de consilio utriusque Medici temporibus ieiuniorum totius anni, etiam Quadragesimalium, vesci, ac pro eorum libitu, ovis, & lacticiis: Itaque qui carnes comederint, servata in ceteris Ieiunij Ecclesiastici forma dicto Ieiunio satis fecisse censentur.

Excipiuntur ab Indulto vescendi ovis, & lacticiis, quoad Quadragesimalia Ieiunia tantum, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alij Superiores, vel inferiores Prelati, & qualibet Persona Regularis, & ex Secularibus illi, qui in Presbyteratus Ordine constituti sunt, nisi fuerint Sexagenarii.

Hæc clausula Indultum quoque deinde concessit Prelatis, ac Sacerdotibus Secularibus vescendi lacticiis Urbani VIII. ponemus, & exponemus non multo post in fine eius capituli §. 5.

## CAPVT VIII.

## Secundum Privilegium circa cibos vetitos.

Hoc Privilegium tum quoad carnes, tum quoad lacticiis, non posse nos uti extra Regnum, seu Regna ubi non promulgatur Bulla, supra indicavimus, & nunc confirmamus suo in loco, quia nimis id clarè apparet in bullæ tenore. Quare, si tu habens bullam Panormi, eas Neapolim, ibi hoc Privilegio vescendi prohibitis frui non potes, potes autem, si eas in quamlibet Siciliæ Civitatem, ut etiam si ad Hispaniam aliasque Regna, in quibus bullæ promulgatio conceditur.

§. I. Posse carnis vesci de consilio utriusque Medici.

1. Vt hoc Privilegio fruamur, requiritur consilium utriusque Medici. Circa quod dubitabis, quid emolumenti affert hoc Privilegium? Nam, vel certus sum, me ob infirmitatem gravem posse comedere carnes, & tunc licitè possum illis vesci sine ullius consilio: Quod si sum incertus, & Medicus solus corporalis declarat, me carnibus indigere etiam possum liberè, ut ex se patet: Vel sum certus, vel certus reddor à Medico me non indigere carnibus, & tunc nullo modo licitè illis vesci possum: vel denique sum in dubio, & dubius est medicus de mea indigentia; & nunc probabile putant nonnulli, ut l. 1. in Dec. c. 3. §. 7. I. Ieiun. nos diximus, me posse

posse iis vesci, ne scilicet in periculum certum gravis morbi dilabar; quo periculo stante, (ut quando est dubia mea indigentia, semper stat) certe non obligor (aiunt hi) ad abstinendum à carnibus. Quid ergo emolumentum affert bulla?

2. Respondeo, duo emolumenta affert. Primum, quia est alia sententia, & quidem communior, docens, in prædicto dubio esse obediendum præcepto: præceptum enim abstinendi à carnibus die vetito, est certum; exceptio autem, ut supponis, est dubia; unde prævalere debet certitudo præcepti: Ideo Pontifex sequentibus hanc communior sententiam, imò etiam sequentibus primam, ne scrupulorum sit locus, concedit per bullam ejusmodi comestionem.

Secundum, quia (ut habet bullæ tenor) quæ data est à Pio Quinto, quæque refertur à Lud. à Cruce de Bull. d. 1. c. 5. d. 10. concedit Summus Pontifex, ut qui in reliquis servat formam Iejunii (intellige si semel tantum comedat ad satietatem, &c.) censetur implere præceptum, & sic consequatur Iejunii meritum, quod certe est ingnum privilegium. Meritum autem dixit improprio, & vulgari modo loquendi, significare volens prædictos consequi eam satisfactionem ex dispensatione Theauri Ecclesiæ per Summum Pontificem, quam consequeretur, si sine carnibus jejunarent. Id quod Pontifex in clausula hac, quam præ manibus habemus, verbis magis propriis, & manifestis habet, ibi (ut jejuniis satisfecisse censentur.)

3. Dubitabis secundò, quid intelligatur nomine utriusque Medici.

Respondeo, Quoad primum, intelligi quemlibet Confessarium, etiam si non sit tutus, quia etiam is Medicus spiritualis est, & quia in foro conscientie omnes Confessarii reputantur ut unus quid. Ita Gallegus, c. 6. dub. 45. addens, satis esse, si id consilium detur extra confessionem, non enim bulla confessionem actualem requirit. Imò idem & Bardi p. 2. r. 3. c. 1. sect. 2. docent satis esse quemlibet Sacerdotem, quamvis non approbatum à ordinario ad confessiones suscipiendas, quia etiam hic potest absolvere à venialibus, & absolute dici potest Confessarius, quicquid in oppositum dicat Mendo in app. d. 2. c. 8.

4. Quoad secundum. Difficultas est. Vtrum, sicuti certum est doctorem in Medicina sufficientem esse, ita quemlibet, nec doctorem, nec scientiam Medicinæ proficientem, sed hominem, vel etiam mulierem in medicando ægroti expertam?

Respondeo, sufficere, quia nomine Medici non intelligitur ad literam, qui doctoratus laurea est insignitus. Nam, si est Doctor, sed tamen mihi constaret esse inexpertum, non sufficeret; esset enim directè contra mentem Pontificis; intelligitur ergo, qui est peritus; unde rectè de hac re sic dixit Henr. l. 6. c. 23. Si modo medicus, aut expertus vir explicet subesse causam.

5. Dubitabis Tertio. Cum Prælati omnes, ut etiam omnes Regulares, & Sacerdotes omnes, etiam Sæculares, nisi sint Sorogenarii excipiantur, per Bullam Cruciatæ ab usu Privilegii vescendi lacticiis diebus vetitis, ut mox dicemus latius, possuntne ii uti hoc privilegio comedendi carnes ex consilio utriusque Medici?

Respondeo, posse quia in Summario Latino Bullæ allato à Ludov. à Cruce toties citato & in Summario vulgari tum Hispanico, tum Italico, quod traditur summentibus bullam, non est illa exceptio in privilegio comedendi carnes, adest vero solum in privilegio edendi, lacticia. Non placet ergo Mendo d. 18. c. 3. n. 23. nobis contrarius.

6. Dices, at Trullench. lib. 1. §. 4. dub. 2. licet nobis favens, affert tamen verba Bullæ Latine, ubi videntur excludi prædictæ personæ etiam ab usu privilegii circa carnes.

Respondeo, Vidit hunc loquendi modum Bullæ Latine Bardi p. 2. r. 3. c. 1. sect. 3. illumque timuit, unde optat

majorem explicationem à commissario generali, in quo residet potestas translalandi ita dicam, & declarandi Bullam.

7. Ego commissarii generalis majorem explicationem optare non possum, quæ enim major declaratio quam illa, quæ habetur in dicto Summario Latino, & in Translatione Hispanica, & in Italica, quod Summus Pontifex delibuit datur à distributore bullarum; & quod cum magna consideratione, commissario complacuit fuisse restrictio quoad carnes contra Prælatos, Religiososque & Sacerdotes.

8. Quod si quis dubitet: An commissarius ejusmodi extensionem facere poterit, dubium vincit ex aliis tot annorum, quo distribuitur Fidelibus prædictum Summarium; id quod, vel ostendit, commissarium hac potestate non caruisse ex tenore concessionis bullæ, vel ex aliis Pontificis novo rescripto, vel saltem tam acquisivisse ex tot annorum consuetudine præscriptam.

9. Dubitabis quardò an hoc Privilegium valeat tam modo pro diebus jejuniarum (ut loquitur bulla Latina) verum etiam pro diebus totius anni, quando non est jejuniis, nempe pro diebus feriæ sextæ, & sabbati, ut habet bulla Italica.

Respondeo, etiam pro diebus totius anni dictis propter rationem modo ductam à potestate commissarii potentis bullam declarare, qui signate id in bulla Latina declarare proficitur. Adde illud bullæ Latine (pro diebus jejuniarum), legitime posse extendi ad dies feriæ sextæ & sabbati, quia à factis Canonibus hi dies vocantur etiam dies jejunii, licet non tam rigorosi, ut sunt quadragesimales, Bardi loc. cit. sect. 1. id probat ex illa regula juris in 6. Cui licet, quod est plus licet, unquam quod est minus. Verum quia hæc regula plures patitur limitationes, ut videre est apud Sanchez, lib. 8. meritis disputat. 1. n. 32. ideo nostræ rationes videntur esse expeditiores.

10. Dubitabis quintò. An dispensatus ad carnes, pro dicto, per bullam, possit pluries in eodem die carnes comedere?

Respondeo, esse valde probabile posse, nisi à dispensante restringatur ad aliquas vias tantum: Id quod cum universaliter l. 4. in dec. c. 5. §. 1. n. 2. dixerimus, aliquid ad rem addiderim, eadem hic cum modestia repetere non oportet: Memineris tamen hunc dispensatum per Bullam meritum jejunii habiturum, ut dixi n. 2. si solum tantum comederit; formam nimirum jejunii in cæteris observans.

#### §. II. Possit temporibus jejuniarum totius anni etiam Quadragesimalium vesci lacticiis.

1. PRO tribus temporibus datur privilegium comedendi lacticia. Primum, pro feriis sextis, & sabbatis cujuscunque Hebdomadæ. Secundò, pro Vigiliis & quatuor temporibus. Tertio, pro Quadragesima.

Et quidem pro Quadragesima hoc clare est privilegium, quia tunc sine Bulla esset à lacticiis abstinendum. In cæteris autem diebus anni est etiam privilegium, nimirum pro locis illis, ubi est legitima consuetudo non comedendi tunc lacticia: Imò etiam in aliis locis, ubi est consuetudo tunc comedendi lacticia, est privilegium, nam per illud sedantur saltem conscientie timoratorum.

2. Iam verò dubitabis primò. An qui habet bullam, possit vesci lacticiis in jejuniis ex voto, ex penitentia Sacramentali, & ex Iubilæo.

3. Antequam respondeam, recolo, si vejunare debeas ex voto, si ve ex penitentia data à confessorio, si ve ad lucrandum Iubilæum, recole inquam, esse opinionem probabilem, te tunc posse jejunare comedendo lacticia, nisi tamen vel expressè, vel ex circumstantiis colligatur.